





13  
13  
ORDINIS MEDICORVM  
IN ACADEMIA VITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS  
CHRISTIANVS FRIDERICVS  
NVERNBERGERVS

MEDICIN. DOCTOR. ANATOM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORD. MVS. ANATOM. ET NATVR.  
CVRIOSOR. INSPECT. SOC. OEC.

LIPSIENS. SODAL.

DISPVATIONEM INAVGVRALEM  
MEDICAM

DIE XXV. MENS. IANVAR. CIOIDCCLXXXX

HABENDAM

INDICIT

PROLVSIONE

QVAE

CAVSARVM MORBIFICARVM CRITERIA  
EXPLICAT.

ORDINIS MEDICORVM  
IN ACADEMIA VIETENSI  
D E C A N V S  
CHRISTIANVS FRIDERICVS  
NYERNBORGIVS  
MEDICINAE DOCTOR INVTOM ET ROTAN PRIN  
CIPALIS ORDINIS ANATOMI ET MATH  
CIVICVS M. P. S. P. S. S. S. S. S. S.  
LIVENSIS SODALIS  
DISPUTATIONEM IN AVGVSTIN  
M E D I C A M  
DIT. XVII. MENS. IANVAR. CIVIS. S. S. S. S. S. S. S.  
HATZMANN  
INDITIT  
P R O L V S I O N E  
P R O L V S I O N E  
C A P I T U L U M M O R B I F I C A R V M C R I T I C A  
E P I C A T





CAVSARVM MORBIFICARVM  
CRITERIA.  
PARS I.

---

**C**um in hac scriptiuncula commendatoria quaedam de causis morborum, earumque criteriis differendi animus fit, ante omnia mihi quoque rationes allegandae sunt, cur hanc dicendi causam elegerim, ne forte quibusdam nimis trita, inutilis, et superuacua eadem esse videatur. Non solum nempe inter priuata colloquia cum aliis bene multis artis sociis



cijis de genuina morborum indole et natura ad aegrotorum lectulos passim instituta, verum etiam in disputationibus publicis, et quod tanto magis mirandum est, in scriptis adeo Pathologorum, nonnullisque libellis Practicorum alias satis celebrium ac eruditorum hoc saepe surrepisse vitii animaduerti, magnam causarum morbi fieri confusionem, atque promiscue vnus pro altera mentionem iniici, nec rite a se inuicem discerni, contra vero potius obscurum per aeque obscurum haud ita raro explicari solere. Atque hanc maculam ea causa, quae in scholis nostris proxima audit, prae aliis frequentius inuistam habet. Nec est, cur hoc mireris, cum eam saepe admodum absconditam, ipsoque cum morbo adeo intricate implexam esse constet, vt difficillime, et non nisi summa attentione, summoque ingenii acumine adhibito detegi possit. Eodem propterea in Pathologia modo versandum esse videtur, quo scientiae naturalis cultores agere consueuerunt, quippe qui in tam stupenda corporum naturae multitudine, vt cuncta probe cognoscerent, perfecteque discernent, ad notas, in externis proprietatibus vbique obuias, oculos animumque aduertunt, earumque conuenientiam aut discrepantiam accurate notando, ac ne minimum quidem praetereundo, ad graphicas singulorum descriptiones concinnandas facili sic negotio capaces euadunt atque idonei. Idem, inquam, in causis morborum prudenter expiscandis, et accurate definiendis locum habet, vt scilicet commoda conuenientissimaque signa colli-



colligas, quibus, cum earum plures ad morbum constituen-  
dum symbolam suam conferant, vnā possis ab altera clare  
perspicueque distinguere. Hinc operae omnino pretium esse  
iudicauimus, si periculum faceremus, an tales notae vere  
characteristicae et distinguentes, ad causam potissimum proxi-  
mam rite internoscendam necessariae, erui possint.

Quemadmodum nempe tunc morbum adesse aiunt, quan-  
do oeconomiae animalis functiones vi structurae eius peragen-  
dae ita laeduntur, vt vel profus non, vel saltim non nisi aegre,  
nec absque dolore perfici possint; ita rem quamlibet, quae  
tanta pollet vi et efficacia, vt adeo vsque laedere eam, eius-  
que actiones impedire potuerit, quaeque factae huius e statu,  
quem dicunt, naturali in praeter naturalem conuersionis, ra-  
tiones sufficientes, vel si maui conditionem *sine qua non* in se  
contineat, causam morbi appellant. Ex quo conficitur, vt  
sub ea semper comprehendatur res quaedam physica, siue talis,  
quae praedita est materie quadam, qua in machinam anima-  
lem se insinuare, inibique impressiones efficere, et motus  
corporeos edere valeat. Tantum autem abest, vt mentis  
quasdam operationes, quales sunt v. c. profundae meditatio-  
nes, aut animi commotiones, aut nimiae eius contentiones  
propterea e classe causarum morbosarum excludendas esse iu-  
dicemus, vt potius hunc ipsis titulum quoque competere cen-  
seamus, quoniam propter arctissimum illud, quod animae



cum corpore intercedit vinculum, vel motus omnino corporeos inde excitari, vel animum vicissim a machinae animalis motibus affici, certissime constat. Quibus adde, quod absolute nocentem facultatem ipsis tribuere nequeas, quin tales illae tantum certis sub conditionibus euadant, habitaque ad corporis machinam relatione, quatenus nempe in eam ad recipiendum aptam coniunctim agunt, motus eius naturales peruertant.

Secundum morem in Medicorum scholis antiquitus receptum tres earum vulgo numerantur causae, puta *occasionales*, *praedispicientes*, et *proxima*, quarum illae priores *remotae* quoque appellantur, omnes vero simul aut *externae* aut *internae* esse dicuntur. Quemadmodum vero morbum quemlibet non male communem causarum, indeque proficiscentium effectuum, siue symptomatum complexum dicas: ita dum illae mutuo se inuicem excipiant, excipianturque, vera harum omnium series datur, et quasi concatenata cohaesio. Quantum ad priores, occasionales nempe attinet, quae Graeco sermone *procatarticae* audiunt, duplici quasi modo variis ansam aegritudinibus praebere videntur, dum partim spargendo morborum semina corpus ad illos sensim paulatimque praeparant, partim sub cinere doloso clam delitescentem illum fomitem accessu suo ad viuam flammam perducendo, morbum efficaciter et reuera excitant. Vtraque hac pollere efficacia eas potissimum res

con-





constat, quas, cum corporis natura iis carere nunquam possit, contra vero iisdem semper indigeat, nonnaturalium titulo insignivere. Ita vero easdem comparatas esse scimus, et adeo inevitabilem illae habent, atque quasi necessariam cum corpore communionem, ut modo proveniant a mente, quorsum praecipue commotiones eius et contentiones referas, modo a corpore ipso proficiantur, quatenus illud nempe aut motum quietemve exercet, aut in somno vigiliisve versatur, aut quodlibet inutile superfluumque excernit, laudabileve sancte retinet, modo factis antea devorationibus in illud vere introduci possint, quod de alimentis, cibum puta potumque comprehendentibus, neque minus de medicamentis, atque venenis valet, modo demum foris eidem tantum admoueri soleant, quas videlicet res praeter aërem, corpus vbivis ambientem, vestes, stragula, balnea, et alia mechanice corpus afficientia, constituunt. Et sicuti, a folis forte venenis et medicamentis si discesseris, natura oeconomiae animalis carere illis neutrquam potest, contra vero potius quotidie illis necessario indiget, vnde quoque rerum non naturalium nomen adeptae esse videntur: ita tam abusus, quam peruersus, incongruus, ac intempestivus usus vnice ipsis nocentem impertit potentiam. Ad primam itaque notam, quae causis hisce fere propria est, referendum esse putamus, quod illae semper sint externae, utpote quae aut ingerendo, aut gerendo, aut applicatione quadam extorsum facta se manifestant. Ex quo porro consequitur, ut, qui alter earum est character, prae



prae aliis illae sint evidentes et manifestae, siquidem in sensus  
 mox incurrunt, et ab ipsis aegris intelliguntur facile, nec, ut  
 fite cognoscantur, difficilius opus habent meditatione aut con-  
 iecturatione. Tunc remotis eadem semper adnumerandae  
 sunt, quippe quae nunquam solae, sed aliis cum causis sese  
 coniungendo morbum excitare poterunt, quamvis earum sin-  
 gula ad procreandum morbum suam conferre videatur symbo-  
 lam, siue diu, siue statim ante morbum praecedant. Fre-  
 quentius vero accidit, ut vel ideo, quoniam applicationem  
 earum saepe morbi confestim et manifesto subsequi soleant,  
 quo potissimum respectu ipsis occasionem subministrasse viden-  
 tur, quodque non multum ante ipsorum evolutionem fere  
 semper praecedere debeant, cum causa proxima fiat confusio.  
 Quibus denique addas, quod nihilofecius laxior earum sit cum  
 morbo cohaesio, ut, siue lente praeparauerint eum, siue eundem  
 excitauerint subito, dum ipse partes suas agit, raro amplius  
 praesentes esse soleant. Quae cum ita sint, hanc esse causam  
 morborum occasionalem pronunciamus, quae tanquam externa,  
 et evidens, et remota, tam morborum semina sensim paulatim-  
 que spargendo, quam huic denuo accedens fomiti eundem  
 excitando morbo praecedit semper, siue diu, siue paululum  
 ante eum, quaeque exoriundo ita morbo ansam praebet vber-  
 rimam, ipso vero sese manifestante raro praefens esse solet, vel  
 si addit simul, exasperandi morbum potentia certissime pollet.

Abrum-



Abrumpamus autem filum huius tractationis nostrae pro-  
pediem resumendum, et transeamus ad commendationem *Viri*  
*Praenobilissimi*, et summorum in Medicina honorum consequen-  
dorum *Candidati Dignissimi*. Ille vero quis sit, qualemque vitae  
ac studiorum suorum inierit rationem, ita nobis ipse exposuit:

Ego CAROLVS GOTTFRIED BAVERNSTEIN an-  
no huius saeculi *MDCCCLVI* die *XIII*. ante Calendas  
Decembris natus sum *Zwickaniae Hermundurorum*, patre  
CHRISTOPHORO BAVERNSTEIN, ciue et sartore  
patriae vrbis pio ac honeste, matre vero IOANNA ELI-  
SABETHA, e gente SACHSIANA, quorum optimo-  
rum parentum pietatem nunquam non grata memoria re-  
colam, pieque venerabor. Omnem enim adhibuerunt  
operam in me educando, et hunc in finem curarunt, vt  
a solertissimis praeceptoribus et praecepta religionis chri-  
stianae, et elementa bonarum litterarum mature percipe-  
rem. Grato hinc animo diligentiae praeceptorum opti-  
morum RANFTII puta, et SCHVLZII recordor, quam  
illi tunc in me erudiendo adhibuerunt. Ab ineunte aeta-  
te semper optabam ardentissime, vt literas et scientias al-  
tiores aliquando edificere possem, sed mors patris mei  
praematura impediuerat, quo minus voti eiusmodi fierem  
compos. Suafu ideoque blando matris charissimae arti  
chirurgicae me consecraui, quam SCHVBERTHVS, *Chi-*  
*rurgus*



rurgus ciuitatis meae tunc haud ignobilis me fideliter edocuit. Annis praeterlapsis ad chirurgiam addiscendam plerumque destinatis, et ab artis Magistro ex ephebis rite emissus, Dresdam me contuli, ibique a Collegio Medico Chirurgico in numerum discipulorum receptus sum, praelectionibusque Doctorum interfui, e quorum institutionibus plurimum me profecisse ingenue fateor. In his nempe b. PIETSCHELIVS, *Anatomiam, Physiologiam et Physicam experimentalem*, b. HAENELIVS, *Pathologiam et Therapiam*, b. MAERZIVS *artem obstetriciam*, et dexterrimus denique WILDIVS, *Proto-Chirurgus, artis chirurgicae praecepta, et modum operationes instituenti* mihi tradiderunt.

Anno 1778 bello, propter turbas in Bauaria orto, in nosocomio castrensi, cui *Experientiss.* DEMIANI vna cum b. ZIMMERMANNO, *Proto-Chirurgo*, praefectus erat, in numerum chirurgorum castrensiu receptus artem medicam exercui, et aegrotos tractaui. Bello finito, postquam a Collegio Medico tentatus fueram, vices chirurgi in cohorte *Comitis DE ANHALT*, cui nunc *Generalis Excubiarum Praefectus DE HARTITZSCH* praest, mihi committebantur, quas ab anno 1779 vsque ad annum 1788 peregi.

Anno 1781 iussu Collegii Medico - Chirurgici Dresdam me contuli, ad cognitionem meam medicam augendam,



dam, et per integrum annum duce b. PIETSCHELIO, et HAENELIO h. t. *Professore in cadauerum sectionibus*, me exercui, et a b. PIETSCHELIO *Anatomiam*, et *Physiologiam*, ab *Experientiss. DEMIANI*, *Pathologiam* et *Therapiam*, a b. MEYDERO *Materiam medicam*, a WILDIO, *Chirurgiam* denuo, et a SCHADIO *doctrinam de fasciis* dilucidatam accepi. Eodem anno sub auspiciis DEMIANI et WILDII in nosocomio publico Dresdeni aegrotorum curam habui. His optimis viris gratias debeo maximas, non solum pro fidei institutione, qua uti mihi licuit, sed etiam pro beneuolentia et amore singulari, quo me sunt profecuti.

Anno 1788 a munere chirurgi concredito me abdicauit, et Vittebergam profectus sum, vt cognitionem medicam magis magisque amplificarem, et a *Magnifico et summe Venerando DRESDIO*, fasces Academiae tunc temporis tenente, albo academicorum insertus sum. Hic *Excell. BOEHMERVS Therapiam Generalem* et *Specialem* mihi exposuit. *Excell. LEONHARDI, Pathologiam, Medicinam forenses, Artem formulas medicas conscribendi, Chemiam* quoque theoreticam et experimentalem me edocuit, et in *examinatorio theoretico et practico* cognitionem meam medicam magnopere auxit: *Excellentissim. NVERNBERGERVS Osteologiam, Splanchnologiam physiologicam* et *pathologicam*, itemque *Anthropologiam*,



et *Experient.* LANGGVTHIVS *artem obstetriciam* pro-  
posuerunt.

Tanta sane sunt horum virorum optime meritorum  
in me collata beneficia, et amoris documenta, vt illis,  
prout par est, extollendis, aut remunerandis me prorsus  
imparem esse sentiam. Gratias itaque quas possum maxi-  
mas ago illis, habeoque, nihilque ardentius opto, quam  
vt Deus Optimus Maximus eos incolumes seruet ad se-  
ros vsque annos in solatium aegrotorum plurimorum,  
nec non in vtilitatem eorum, qui hanc Academiam fre-  
quentant. Nec denique silentio mihi praetereundus est,  
*Praecellentiss. IEHNICHEN*, qui *Logices* praecepta, vt  
solet, solide et perspicue mihi tradidit.

Ita praeparatus ab Ordine nostro petiit, vt ad Examen,  
quod pro Candidatura dicitur, eum admitteremus. Quibus  
honestis precibus tanto lubentius annuimus, quanto magis in  
Tentamine ipso constitit, ipsum omnino dignum fuisse, qui in  
Candidatorum et Practicorum numerum posset recipi, quod  
etiam factum est die XXVII. mensis Iunii anni praeteriti.  
Iamque demum in eo est, vt summos in Medicina hono-  
res ambiat. Ad quos rite impetrandos ipsi antea cathedra  
medica conscendenda est, e qua *Praeside Magnifico et Grauissimo*  
*BOEHMERO* nostro, iam Academiae Rectore, Fautore quo-  
que et Collega plurimum Colendo, Dissertationem inauguralem



*de plantis Segeti infestis, mascule, quantum quidem auguramur, ventilabit. Huic Panegyri indictus est dies XXV. mensis Ianuarii, quam ut frequentia sua reddere velint splendidiorem Patres Academiae Conscripti, Comites Illustrissimi, Perillustres Liberi Barones, Generosissimi quoque ac Nobilissimi Commilitones, nec non Fautores bonarum litterarum omnes, meo, Ordinisque mei nomine obseruantissime rogo. P. P. Domin III. post Epiphan. A. R. S. CIO IO CCLXXXX.*

---

## VITTEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.







V I R I S

INCLYTAE CIVITATIS GORLICENSIS

PATRIBVS PATRIAE CONSCRIPTIS

PRAENOBILISSIMIS

CONSVLTISSIMIS EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMIS

DOCTISSIMIS

D O M I N I S

C O N S V L I B V S

P R A E T O R I

S Y N D I C O

S C A B I N I S

S E N A T O R I B V S

D O M I N I S

M A E C E N A T I B V S E T P A T R O N I S

O M N I P I E T A T I S C V L T V

A D C I N E R E S V S Q V E C O L E N D I S

E T P R O S E Q V E N D I S

VIRI  
DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM

PATRIAE CONSORTIIS  
DEBITA SUBMISSIONE ANIMIQUE CVLTV  
PRAENOBILISSIMIS  
ET OBSEQVIO  
CONSULTISSIMIS EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMIS

DOCTISSIMIS  
DEDICAT ATQVE CONSECRAT

DOMINIS  
CONSVLIVS  
PRAETORI  
SYNDICO  
SCABINIS

SENATORIBVS  
DOMINIS

MARCEMATIBVS ET PATRONIS

OMNIBUS  
CAROLVS GOTTFRIED BAVERNSTEIN  
AD CIRCVS VIVVS COLLEGIIS

ZWICKAVIENSIS.

VI 216

5. + 24. Juli 2:00

23 = ~~z~~

39 = t.

ULB Halle 3  
002 385 52X  


vd 18

TR. → 20

VD 17

04.200 n Bd,







13

ORDINIS MEDICORVM  
IN ACADEMIA VITTEBERGENSI  
H. T.  
DECANVS  
CHRISTIANVS FRIDERICVS  
NVERNBERGERVS  
MEDICIN. DOCTOR. ANATOM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORD. MVS. ANATOM. ET NATVR.  
CVRIOSOR. INSPECT. SOC. OEC.  
LIPSIENS. SODAL.  
DISPVATIONEM INAUGVRALEM  
MEDICAM  
DIE XXV. MENS. IANVAR. CIDI~~DC~~CCLXXX  
HABENDAM  
INDICIT  
PROLVSIONE  
QVAE  
CAVSARVM MORBIFICARVM CRITERIA  
EXPLICAT.

